



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Ioannes Calybita. 15. Ianuarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

42 *Vitæ Sanctorum.* 15. IAN.  
ab Hieronymo eam palmate etiam Imperatorum purpuræ prælatam , quando in illâ magnus Antonius triumphavit.  
*Ex S.Hieron.*

S. IOANNES CALYBITA.  
15.Ianuarii.

ILLE IOANNES est, qui in illustri patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adolescentia admodum clam his in Syriâ abiit, & vestem indutus religiosam, unico, sed delicato cibo vicitat, Angelorū pane. Post cum parentes sæpenumerò ingreretur hostis, ægrè illi sibiq; facturus Romanum iter instituit. Ex itinere vestē suā cum mendicantis centonibus comunitat , & his spoliis superbus ad parentes ignotus divertit, tantq; filius familiae, tanti patrimonii hæres vix malè sartam teatamque in vestibulo ædium suarum casulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam sui hostis furtivo parētum aspectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad Superum palatia invitatus, matrem advocat ; mendicus ægrè impetrat; præsentem jurejurando adigit, velit inbeat in pannuceis suis se tumulari. mox sanctum Evangelii librum, quem puer ab eâ dono acceperat , in manus tradit, atque ita oculos tandem matri aperit, ipse suos claudit. Enimvero male officiosa velle hic auream filio purpuram indu-

15. IAN. *Vita Sanctorum.* 43  
inducere; sed illicet manus sensit tamdiu rigescere, dum piæ & ultimæ IO-  
ANNIS voluntati est obsecuta. Claruit  
verò sanctior hic in casâ suâ Romulus  
circa annum Christianum CDLXVII.  
nunquam orbi tam notus futurus, nisi  
tam ignotus fuisset. Ex Surio.

S. BONITVS EP. 15. Ianuarii.

BONITI virtus detesta jam tum divi-  
nitus est, cùm matris adhuc utero  
lateret. Erenim cùm hæc grava à Sa-  
cerdote postulareret, bene ut sibi precari  
vellet, quin, ille retulit, *bene potius tu mihi*  
*precaris Domine?* Amplius ad hæc ob-  
stupescenti, ne, ait, *hoc à te exigere me*  
*crede, sed ab eo, quem utero foves, quem ad*  
*insulam iam nunc vocari video.* Cæterum  
BONITVS adultior factus, cùm maxi-  
ma quæque munia in Gallorum Regiâ  
obiret, ita Regis causam egit, ut cuivis  
dignitati pauperum patrocinium præ-  
ferret. Ascitus inde ad Episcopatum  
Arvernensem, dum nocte intempestâ in  
templo precibus vacat, adspectabilem  
cum omni aulâ Reginâ cali MARIAM  
habet; hujus imperio rem divinam fa-  
cit ( homini Cælitibus inservientibus )  
& in laboris præmium vestem aufert  
mirè candidam, eaque sive materiâ sive  
arte, quam mirari oculus humanus  
semper, agnoscere potuit nunquam.  
Simile sperare postea ausus è successo-  
ribus